

episcopo debita, bene tamen ex parte. — Resp. III. Insuper subditus manens subditus, (id est, quam diu se gerit, et recognoscit pro subdito) nequit in totum præscribere exceptionem a reverentia episcopo debita: eam tamen potest præscribere in parte; puta, ut prælatus inferior in sua parochia præcedat episcopum, prout exemplificat Barbosa cit. allegat. 128. n. 7, allegans alios. Et hac ratione admittitur quoque præscriptio exemptionis de non solvendis episcopo funeralibus, aut quarta decimarum, c. *De quarta*. 4. h. t. et alibi: siquidem talis præscriptio procedit solum ex parte: non autem subtrahit episcopo totum jus episcopale, aut omnem reverentiam, et subjectionem eidem debitam.

56. *Abbas exemptus potest præscribere contra episcopum certam parochiam.* — Ex dictis inferitur cum Abbate, c. *Cum non liceat*. n. 17. h. t. et Barbosa cit. allegat. 128, n. 9. et aliis, quod abbas exemptus possit præscribere contra episcopum certam parochiam: ita videlicet, ut non amplius ista subsit episcopo, sed abbati exempto, qui a tempore immemoriali per suos monachos exercuit curam animarum respectu illius parochiæ, et nunquam ab episcopo curam recepit, neque visitatus fuit. De quo plura citatus Abbas, solvens contraria.

§ III.

DE BONA FIDE AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITA.

57. *Bona fides in proposito, quid? Ea in foro externo præsumitur, nisi probetur contrarium.* — Quæritur I. An, et quo tempore bona fides requiratur ad præscriptionem? Ubi prænotandum, quod « bona fides » in proposito aliud non sit, quam proba existimatio, sive credulitas, qua quis prudenter sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam. Et additur, « prudenter: » quia si ex ignorantia crassa et affectata, seu ex inordinata cupiditate habendi, persuasio illa procedat, non erit bona fides, juxta illud *Psalm.*, xxxv. 4. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Hinc Glossa c. *Si diligenti*. §. *Bonæ fidei*. h. t. inquit: « Bona fides intelligitur, cum aliquis credit, tradenter esse dominum: vel habere jus distrahendi, licet erret in facto, » I. *Bonæ fidei emptor*. ff. *de Verbor. signif.* Et talis bona fides in foro externo semper præsumitur, nisi probetur contrarium; prout subjungit Glossa loc. cit. istud probans ex

1. *Verius*. ff. *de Probat.* juncta reg. 47. in 6. quæ ait: « Præsumitur ignorantia (facti alieni, puta, injustæ possessionis alterius) ubi scientia non probatur. » Quo prænotato

58. *Ad legitimam præscriptionem omnino requiritur bona fides.* — Resp. I. Ad legitimam præscriptionem omnino requiritur bona fides: adeo, ut nec in foro canonico, nec civili, valeat præscriptio cum mala fide. Ita Abbas cap. ult. in *Summario*. h. t. ac theolog. et canonistæ communiter. Conclusio hæc clare habetur decisa c. *Vigilanti*. 5. h. t. et cap. ult. eod. Ibi in concilio generali (hoc est Lateranensi, celebrato sub Innocentio III) sic decisum refertur: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis, » etc. Hinc in reg. 2. jur. in 6. absolute dicitur: « Malæ fidei possessor ullo tempore non præscribit. » Unde consequens est, nullam præscriptionem cum mala fide procedere, quantoque tempore, puta, centum vel mille annis, possessio rei alienæ scienter continuata fuerit: quinimo tanto graviora sunt peccata talis injustæ detentionis rei alienæ, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, cap. ult. *de Consuetud.*

59. *Et quidem toto illo tempore, quo currit præscriptio.* — Resp. II. Ad complendam præscriptionem requiritur bona fides toto illo tempore, quo currit præscriptio. Ita communis theologorum, et canonistarum; atque habetur decisum in eodem concilio generali, relato in cap. ult. h. t. Ubi post verba proxime allegata, subjungitur: « Cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat notitiam alienæ. » Hæc ibi.

60. *Secus ubi præscriptionem jam completam supervenit notitia rei alienæ.* — Secus est dicendum, ubi post completam bona fide præscriptionem primum supervenit notitia rei alienæ: quia cum talis jure præscriptionis jam legitime fuerit adeptus dominium rei alienæ, juxta dicta n. 21. et seqq. hoc ipso non censetur esse malæ fidei possessor; neque rem illam amplius restituere tenetur. Glossa fin. cit.; cap. ult., h. t. et alia Glossa c. *Vigilanti*. §. *Noverit*. eod. communiter recepta.

61. *Spectato jure civili olim, ad præscrip-*

tionem sufficiebat sola fides ab initio, etc. *Leges illæ fuerunt correctæ de jure canonico, seu per concilium generale, et cur?* — Fatendum quidem est, quod spectato jure civili, olim ad præscriptionem triennem rerum mobilium, sicut et ad præscriptionem longi temporis rerum immobilium, sufficiat bona fides ab initio habita, l. un. c. *de Usucapion. transformand.* Atque idcirco diutina possessio bona fide per defunctum cœpta, prosit ejus hæredi, non obstante quod hæres ille sciat rem esse alienam, cit. l. un. et §. *Diutina*. Instit. *de Usucapion.* Quod ipsum etiam procedit in præscriptione longissimi temporis, triginta scilicet vel quadraginta annorum, l. *Si quis emptio*. §. *Quod si quis*. c. *de Præscript. triginta vel quadraginta annor.* eo addito, ut si præscriptor malam fidem habuerit ab initio, præscriptione longissimi temporis acquiratur ipsi sola refinendi exceptio. Verum hujusmodi leges juris civilis, cum absque peccato mortali observari nequiverint, simulque fuerint nutritivæ peccati; eo quod homines præ desiderio præscribendi animaverint ad continuandam injustam rei alienæ possessionem; de facto amplius non procedunt, sed sunt per concilium generale, relatum cap. ult. h. t. correctæ, atque abrogatæ, ea addita ratione: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est. » Quod ipsum jam antea decreverat Alexander III. relatus in c. *Vigilanti*. 5. h. t. Et quidem, cum versemur in materia concernente salutem animarum, isthæc juris canonici dispositio in utroque foro, tam civili videlicet, quam ecclesiastico, est observanda, juxta ea quæ fusius dicta fuerunt superius in præmio libri I. *Decretalium*. §. 12. n. 217. 219. et seqq.

62. *Solvitur instantia ex cap. 1. h. t.* — Dices. In cap. 1. h. t. et can. *Placuit*. 16. q. 3. habetur, quod episcopus locum a se ad fidem conversum per triennium præscribat contra alium episcopum, qui interea eum non repetivit, seu tacuit; ergo etiam de jure canonico procedit præscriptio cum mala fide. Resp. neg. consequent. Quia episcopus locum convertens ad fidem catholicam, bonum opus operatur, ac neutiquam peccat, sicque non est in mala fide: quamvis lapsu triennii jus in dictum locum sibi competat, non vi solius præscriptionis (ad hanc enim non sufficeret triennium, quinimo requirentur quadraginta anni, c. *De quarta*. 4. et c. *Ad supra*. naque auctoritate sanctæ matris Eccle-

siæ, quæ ob favorem fidei catholicæ, atque ad excitandos episcoporum animos pro conversione infidelium, sic statuit. (ADNOTATIO XVIII.)

63. *Dubitans, num res sit sua, nec ne, an possit præscribere? Stante tali dubio, nequit inchoari præscriptio.* — Quæritur II. Utrum dubitans, num res sit sua, nec ne, censeatur habere bonam fidem, possitque præscribere? Resp. I. Si tale dubium adfuit ab initio, non censetur quis habere bonam fidem; adeoque eo stante nequit inchoari præscriptio. Ita Abbas cap. ult. n. 39. h. t.; Bartolus l. *Naturaliter*. §. *Quæro utrum superveniens*. ff. *de Usucapion.*; Covarruvias in reg. *Possessor.* part. II. §. 7. n. 3; Lessius lib. II. *de Justit. et Jur.* cap. vi. 10, allegans communem; et dixi egomet ipse in *Theolog. moral.* tract. VII. dist. 6. n. 11. Ratio est, quia dubitans an res sit sua, vel alterius, injuste agit eam sibi arrogando; cum non sit melior conditio sua quam alterius, qui eam rem prius possederat, sed e contra melior fuerit hujus, utpote possessoris conditio: ergo jam non censetur habere bonam fidem, qualis requiritur ad præscriptionem. Quod si vero res antea fuit sub nullius dominio, hoc ipso fit primo occupantis; sicque cessat ratio dubii.

64. *Solvitur instantia. Dubitans nam res sit sua, nec bonam, nec malam fidem habet.* — Dices. Qui dubitat, hoc ipso non scit rem esse alienam; ergo non habet malam fidem, et consequenter habet bonam fidem, cum quia potest præscriptio inchoari. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Glossa in l. I. §. *Intervenerit*. c. *de Acquirend. possess.* et Glossa fin. II. ff. *Pro soluto*. et Covarruvias cit. n. 3. ignorans, seu dubitans, an res sit sua vel aliena, nec malam fidem habet; datur enim medium per abnegationem, seu suspensionem utriusque, qualem habet vere dubitans, arg. l. I. juncta Glossa §. *Velle*. ff. *de Tributor. action.* Atqui ad inchoandam præscriptionem jura positive requirunt bonam fidem; ut l. un. c. *de Usucapion. transformand.* ibi: « Hoc tantum observando, ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat: » cum similibus. Unde vere dubitans, an res sit sua vel aliena, hoc ipso nequit præscriptionem incipere, ex defectu bonæ fidei.

65. *Quod si dubium post præscriptionem bona fide cœptam superveniat, non interrumpit præscriptionem, etc.* — Resp. II. Quod si dubium post præscriptionem bona fide jam

cœptam primum superveniat, illud non vitiat bonam fidem, neque interrumpit præscriptionem; quamvis teneatur interim possessor moralem diligentiam adhibere in investiganda veritate. Ita Glossa fin., cap. ult., h. t.; Abbas, Bartolus, Covarruvias, ubi supra, alique communiter, paucis exceptis, quos in contrarium citat Covarruvias loc. cit. n. 4. Ratio est, quia in dubiis melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. juris in 6. Ergo si is, qui incipit dubitare, jam prius bona fide possederit rem, melior est conditio ejus, quam alterius non possidentis: sicque bona fide poterit continuare possessionem, et præscriptionem, dummodo adhibeat moralem diligentiam de investiganda veritate, an res sit sua, vel alterius, arg. can. *Occidit*. 23. q. 8. Atque per hoc patet disparitas inter hanc, et priorem conclusionem. Ibi enim non suffragatur cuiusvis possessio, eo quod cum dubio, num res sit sua, nec ne primum incipiat ipsam possidere; imo injuste agat, stante tali dubio eam rem sibi arrogando. Secus dicendum in casu, quando quis bona fide jam antea cœpit possidere rem aliquam, et dubium postea primum supervenit: nam tunc suffragatur ipsi possessio, sicque erit melior conditio ipsius, utpote possidentis.

66. *Solvitur instantia offerendo disparitatem inter hunc et priorem casum.* — Dices. In cap. ult. h. t. requiritur, « ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ: » atqui dubitans, etiam dubio primam superveniente, habet conscientiam rei alienæ; alioquin enim cum tali dubio pariter possit inchoari præscriptio; ergo. Resp. neg. min. cum sua probatione. Quinimo talis post cœptam bona fide possessionem prudenter judicat, practicè se resolvendo, rem esse suam, quamdam oppositum per diligentem investigationem nequit cognoscere: idque vi citatæ regulæ: « In dubiis melior est conditio possidentis: » non obstante, quod adhuc dubitet speculative loquendo. Unde can. *Si virgo*. 34. q. 1. de talibus bona fide possessionem inchoantibus, dicitur: « Tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. » Secus dicendum, quando quis inchoat possessionem alicujus rei, quam dubitat esse suam, vel alterius: et hoc tum ob disparitatem jam allatam, tum quia secundum leges ad præscriptionem ab initio requiritur bona fides, qualem vere dubitans non habet, ut dictum n. 64.

67. *Error juris an impediatur bonam fidem, atque præscriptionem.* — Quæritur III. An error juris impediatur bonam fidem, ac proinde cum eo non procedat præscriptio? Et sensus est, an quis possit usucapere rem illam, quam contractu de jure nullo, puta usurario, acquisivit, ignorans eum esse de jure nullum: adeo, ut postmodum contractu nulliter declarato, possit opponere præscriptionem. Idem est, si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emisset rem quampiam, putans, licere pupillis res suas absque interventu tutoris alienare; aut si a religioso accepisset rem, puta equum, sine prelati licentia, vel agrum non servatis solemnitatibus juris. Quæritur, inquam, utrum cum tali errore juris currat præscriptio?

68. *Ignorantia juris clari, etiam inculcata, impedit præscriptionem.* — Resp. I. Ignorantia juris clari, atque indubitati, non sufficit ad præscriptionem; quinimo eam impedit in utroque foro, licet sit invincibilis, et prorsus inculcata. Ita Glossa c. *Apostolicæ*. §. *Præscriptionis. de Donation.*; Abbas c. *De quarta*. n. 12, h. t.; Covarruvias part. II. c. *Possessor*. § 7. n. 6. et seqq. istud intelligens de errore juris resistentis: secus de errore juris nec assistentis, nec resistentis, ac loquendo de præscriptione, quæ titulum non requirit. Layman lib. II. *Theolog. moral.*, sect. 5, tract. I, cap. VIII, n. 11; Lessius cit. lib. II, cap. VI, n. 14; Pirhing h. t., n. 61. et alii passim; contra Joan. Medinam in tract. *de Contractibus*. quæst. 17. prope fin. qui arbitratur ignorantiam inculpatam juris sufficere ad præscribendum pro foro conscientie: quam sententiam Lessius ibid. n. 17. admittit tanquam probabilem, quando agitur de præscriptione longissimi temporis, quæ non requirit titulum; ut est præscriptio triginta, vel quadraginta annorum.

69. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis est, quia præscriptio, per quam dominium ab uno transfertur in alium, totam vim suam atque originem habet ex jure humano positivo; ergo non habet locum in casu, ubi jura expresse eam reprobant: atqui jura expresse dicunt, errorem juris non prodesse ad usucapionem. Sic quippe in l. *Nunquam*. ff. *de Usucapion.* dicitur « nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. » Idem l. II. § *Si a pupillo*. ff. *Pro emptore*, sic habetur: « Si a pupillo emeris, et scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies

usu: quia juris error nulli prodest. » Similiter l. IV. ff. *de Juris et facti ignorantia*, generaliter dicitur: « Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat. » Neque reperiuntur hæc leges ullibi correctæ, aut per sacros canones aliud quid dispositum. Accedit ratio: quia errans in jure, præsumitur malam fidem habere: atqui cum mala fide non procedit præscriptio; ergo major patet ex l. *Quemadmodum*. c. *de Agricol. et sensis*. l. XI. ibi: « Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdita mercatur. » Concordat reg. 82. jur. in 6. « Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere. »

70. *Ad præscriptionem requiritur bona fides tam theologice, quam juridice.* — Nec obstat, quod ignorantia inculcata juris excuset a peccato; sicque videatur possidentem constituere in bona fide, quæ sufficit ad præscriptionem. Resp. enim, hic quidem induci bonam fidem theologice, seu moraliter, quæ excludit peccatum: non autem bonam fidem civiliter, seu juridice: eo quod expresse a jure reprobetur in ordine ad effectum præscriptionis. Unde ad inducendam præscriptionem requiritur quidem necessario bona fides theologice, cap. ult., h. t., sola tamen non sufficit, nisi concurrat simul bona fides civiliter, seu juridice, propter rationem jam allegatam: quia nimirum leges, a quibus jus præscriptionis totam vim, atque originem suam habet, expresse statuerunt, quod error juris ad usucapionem non prosit. Pirhing h. t. n. 61.

71. *Limitatur data conclusio in certis casibus. Inculcata ignorantia juris sufficit ad præscribendos triennio fructus, ex re alterius taliter perceptos.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio quasdam limitationes. Imprimis enim inculcata juris ignorantia sufficit ad præscribendos triennio fructus, ex re alterius taliter perceptos. Ita Glossa l. *Si fur*. §. *Erranti*. ff. *de Usucapion.*; Navarrus consil. 9. n. 3. *de Offic. Judic. ordin.*; Dynus in reg. *Possessor*. n. 39. *de Reg. jur.* in 6; Covarruvias lib. I. *Variar. resol.* cap. III. n. 8; Lessius cit. cap. VI. n. 15, allegans communem. Idque desumitur ex l. *Sed et si*. § *Scire*. ff. *de Petition. hæredit.* ubi dicitur: « Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erraverit. » Ex quibus verbis Glossa ibidem infert: « Si non est prædo, ergo facit fructus suos. » Quamquam

istud intelligendum esse de fructibus jam consumptis (utpote quos bonæ fidei possessor facit suos, § *Si quis a non domino*. Instit. *de Rerum divis.*) non item de fructibus adhuc extantibus, censeat Layman cit. cap. VIII, n. 11. et Pirhing h. t., n. 63. Nam quod fructus extantes post rescisionem contractus, ipso jure non subsistentis, una cum re ipsa restituendi sint, desumitur ex l. *Jubemus*. 14. § *Sane*, c. *de Sacros. Eccles.* et concordant dicta superius tit. XIII. *de Restitutione spoliatorum*, § 6, n. 127, et 131. et seqq.

72. *Differentia inter præscriptionem, et fructuum acquisitionem interveniente juris errore, quæ?* — Quod si petas, quæ sit differentia inter præscriptionem, et fructuum acquisitionem interveniente juris errore? Respondet Bartolus in d. l. *Sed et si*. § *Scire*. ff. *de Petition. hæredit.* disparitatem esse: quia ad usucapionem requiritur verus titulus vel justus error; ut l. *Celsus*. ff. *de Usucapion.* et l. *Justo errore*. ff. eod. sed error juris non est justus error, cum reprobetur a jure; ergo ad usucapionem non sufficit. Secus dicendum quoad acquisitionem fructuum: quia hic sufficit, abesse malam fidem; qualis jam abest, ubi adest juris error. Verumtamen is qui allegat juris errorem, debet hunc probare: alioquin enim præsumitur scientia, l. *Leges sacratissimæ*. c. *de Legib.*

73. *Ignorantia juris tam theologice, quam juridice inculcata, juxta quosdam sufficit ad præscriptionem.* — Deinde, quod ignorantia juris tam theologice, quam juridice inculcata (qualis potest dari in minorennibus, militibus, mulieribus, imo et in rustico non habente copiam consultoris, utpote quibus jus ignorare permissum est, l. *Regula est*. ff. *de Juris et facti ignorant.*) sufficiat ad præscriptionem, videtur admitti Lessius cit. cap. VI, n. 17. §. *Quarto*, post Baldum in l. *Venditioni*. c. *de Usucapion. pro empt.* et l. *Possessiones*. c. *Si quis ignoraverit rem minor.* et sequitur Layman d. cap. VIII. n. 11. et Pirhing. h. t. n. 62.

74. *Hæc sententia non caret difficultate. Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus: suum vero petentibus non nocet.* — Verum hæc sententia non caret difficultate: quia licet præmissis personis permissum sit jus commune ignorare; adeo, ut ex ejus ignorantia non lædantur, nihilominus dicta ignorantia ipsis non prodest in compendiis (hoc est, in acquirendo, seu lucro captando) sed solum in damnis vitandis, juxta textum in l. *Error*.